



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 4. Clementis XI. literæ ad fœderati Belgii Catholicos hac in caussa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII. mo Pontifice interdiceretur, vicem Episcopi  
A. C. 1702. apud Ultrajectenses ageret.

## §. IV.

*Clementis XI. literæ ad Belgii fœderati Catholicos.*

*Epist. & Brev. Clem. XI. pag. 15.* Cum vero Clemens XI. summus Pontifex haud temere vereretur, ne Catholici in Hollandia, & finitimis Provinciis agentes, seditiosis rumoribus, ac libellis, quos Coddei fautores magno numero disseminarunt, a debito obsequio averterentur, hinc ad eos die septima Aprilis anno sequenti has dedit literas: „Illius vices, licet immeriti gerentes in terris, qui transfurus ex hoc mundo ad Patrem, pacem, quam nascendo nuntiaverat, Ecclesiæ suæ, veluti testamento, reliquit; in eam maxime curam incumbimus, ut Catholici omnes, iique præsertim, qui in sejunctis ab hac Sede Regionibus constituti, ab omni specie mali cavere diligentius debent, remotis dissensionum fomentis, ea, quæ pacis sunt, studiose sectentur, quive in unitate ejusdem fidei consentiunt, concordiæ quoque, & Charitatis vinculo jungantur. Quam ob rem turbarum, ac dissidiorum mala germina, quæ in Hollandicis Missionibus

„nibus jam pridem exorta, quotidie Sæc. XVII.  
 „succrescere, non sine gravi Paterni A. C. 1702.  
 „nostri cordis amaritudine, deprehen-  
 „dimus, resecare, atque etiam, fa-  
 „vente Domino, prorsus eradicare cu-  
 „pientes, Venerabili Fratre Petro Ar-  
 „chiepiscopo Sebasteno, iustis gravi-  
 „busque de caussis, a Vicariatus Apo-  
 „stolici officio, quod obtinebat, su-  
 „spenso, Pro - vicarioque interim, do-  
 „nec ab eadem Sede aliter providere-  
 „tur, in ejus locum subrogato, nulli  
 „alteri, Provicariatus, Archipresbyte-  
 „ratus, aut assessorum Capitulorum,  
 „ut vocantur, Assessoratus, seu cujus-  
 „vis alterius muneris, aut officii ob-  
 „tentu, Pastores, Missionarios, deser-  
 „vitores, aut alios quoscunque ad ani-  
 „marum curam sacramentorumque ad-  
 „ministracionem, etiam prætextu ne-  
 „cessitatis, constituendi, seu deputandi  
 „facultatem ullam competere declara-  
 „vimus, & nihilominus ad abundan-  
 „torem cautelam, & quatenus opus  
 „esset, omnes, & singulas deputatio-  
 „nes supradictorum officiorum nomine  
 „forsitan, ut supra, factas, cum om-  
 „nibus inde secutis, prorsus irritas,  
 „ac nullius roboris, vel momenti esse  
 „decrevimus. Omnibus propterea Cle-  
 „ricis Missionum præfatorum Apostolica  
 „authoritate, & sub excommunicatio-  
 „nis,

„nis,

Sæc. XVII. „nis, ipso facto, & absque alia decla-  
 A. C. 1702. „ratione, incurrendæ pœna, districtius  
 „inhibentes, ne in illarum spirituali  
 „regimine se ingerere quovis pacto  
 „auderent, vel præsumerent. Nunc  
 „vero ut, quod paucis denuntiatura  
 „est, omnibus istarum regionum ca-  
 „tholicis plenius innotescat, nullusque  
 „amplius de Pontificia voluntate nostra  
 „ambigendi superfit locus, ea de re  
 „vos omnes, dilecti Filii, per præsen-  
 „tes literas duximus admonendos; de  
 „vestra quidem eximia pietate, con-  
 „stantique erga Apostolicam sedem obe-  
 „dientia plane confisi, nullam imposte-  
 „rum apud vos fidem, aut aditum in-  
 „venturos paucos illos Ecclesiæ, simul  
 „atque Reipublicæ turbatores, qui sub-  
 „dolis artibus, falsisque narrationibus  
 „candidos animos vestros decipere, aut  
 „etiam, si possent, in errorem abdu-  
 „cere conati sunt. Sinite illos, dilecti  
 „Filii, quia cæci sunt; atque utinam  
 „non excæcaverit illos malitia eorum?  
 „ostendite vos veras Christi oves esse,  
 „quæ supremi in terris Pastoris ab eo-  
 „dem Domino constituti monitis ob-  
 „sequuntur, & non audiunt vocem  
 „alienorum. Alieni profecto sunt, qui,  
 „dum gregem Dei dividere tentant,  
 „mactare potius, ac perdere, quam  
 „custodire velle deprehenduntur: Ob-  
 „ten-

„tendunt illi quidem exactioris disci- Sæc. XVII.  
 „plinæ speciem, ac de rigidioris Theo- A. C. 1702.  
 „logiæ sibi fama blandiuntur; quales  
 „vero animo sensus foveant, quo ve  
 „mente colliment, quicumque sapiens  
 „rerum æstimator facile judicabit, cer-  
 „tissima illa, qua nos, ad eos, qui ve-  
 „niunt in vestimentis ovium dignoscen-  
 „dos, Salvator noster instruxit, ad-  
 „hibita regula: a fructibus eorum co-  
 „gnoscetis eos. Quis enim, ut cæ-  
 „tera taceamus, tot hac in caussa ab  
 „iis editos libellos videat injuriis, ma-  
 „ledictis, mendaciis, calumniis, aper-  
 „taque in Apostolicam sedem irreve-  
 „rentia, ac temeritate undequaque sca-  
 „tentes, quos, magno vel ipsis Hete-  
 „rodoxis scandalo fuisse comperimus;  
 „quin statim agnoscat, quam longe  
 „illorum authores, defensoresque a  
 „Spiritu Dei absint, qui non est dissensio-  
 „nis Deus, sed Pacis, quam longe a  
 „sincera Christi charitate, quam adeo  
 „verbis prædicant, factis destruunt,  
 „quam longe demum a veræ humilita-  
 „tis, & obedientiæ, quæ cæterarum  
 „virtutum fundamenta sunt, tramite;  
 „dum adversus ipsam B. Petri sedem,  
 „Christianorum omnium Matrem &  
 „Magistram Caput attollere, ejusque  
 „mandatis obviam ire, quin imo, &  
 „potestatem convellere, ac palam im-  
 „Hist. Eccles. Tom. LXVII, B „pe-

Sæc. XVII. „petere non erubescunt. Vos autem  
 A. C. 1702 „dilecti Filii non sic, sed in accepto a  
 „Majoribus Vestris pietatis instituto per-  
 „severantes, quem religione profite-  
 „mini Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ  
 „Principatum prompta, ut Catholicos  
 „debet, obedientia comprobate; neque  
 „enim vobis, nisi pro vestra utilitate  
 „præcipimus, nec temporalia vestra  
 „quærimus, sed spiritualia vobis cha-  
 „rismata comparamus. Quod vero ad  
 „præfatum Archiepiscopum Sebastenum  
 „attinet, cum repetitis multorum offi-  
 „ciis, atque etiam enixis dilecti Filii  
 „Theodori de Cock a Nobis, ut præ-  
 „fertur, Provicarii constituti precibus  
 „urgeremur, ut illi in Hollandiam red-  
 „eundi potestas fieret; asserentibus  
 „cunctis, id quoque a sæcularibus Ma-  
 „gistratibus de restituendo, ut agebant,  
 „in Patriam proprio cive sollicitis ve-  
 „hementer optari, Apostolica potius  
 „indulgentia, quam districtiori Cano-  
 „num Censura usi, discedendi non mo-  
 „do veniam, sed & mandatum ante  
 „duos fere menses ultro dedimus: ei-  
 „dem vero, cum se pararet itineri, ad  
 „Nos nuperrime venienti Paternæ simul,  
 „ac perspicue animi nostri sensus ita  
 „explicavimus, ut licet novi istarum  
 „partium Vicarii Apostolici deputatio-  
 „nem diutius adhuc nos differre con-  
 „tinge-

„tingeret, ipse tamen spem omnem, Sæc. XVII.  
 „ejusmodi munus, quod ei non nisi ad A. C. 1702.  
 „hujus S. Sedis beneplacitum deman-  
 „datum fuisse reperiebatur, & a quo  
 „subinde, sicut præmittitur, suspensus  
 „fuerat, imposterum exercendi sibi pe-  
 „nitus sublatam esse non obscure intel-  
 „ligeret: ita siquidem re satis super-  
 „que discussa, auditoque plurium Ve-  
 „nerabilium Fratrum nostrorum S. R. E.  
 „Cardinalium consilio, spirituali ista-  
 „rum Missionum bono magis congruere  
 „in Domino censuimus. Præterea ei-  
 „dem injunximus, ut fautores suos ab  
 „omni contentione & æmulatione sui  
 „potissimum causa suscitatis curaret a-  
 „vertere, offensiones omnes, querelas,  
 „cæterasque terrenas sapientium ratio-  
 „nes ingenito hominibus proprii com-  
 „modi studio jugiter suggerente mini-  
 „me defuturas, uno hoc effato Apostoli  
 „compescendo, obedite præpositis ve-  
 „stris, & subjacete eis, ipsi enim per-  
 „vigilant quasi rationem pro anima-  
 „bus vestris reddituri. Hæc omnia  
 „dilecti Filii, vobis similiter innotesce-  
 „re necessarium duximus, ut quicun-  
 „que apud vos Catholicorum nomine  
 „censeri volunt, non sint sicut parvuli  
 „fluctuantes, sed sciant, quem Pasto-  
 „rem in via Domini sequi, & cujus  
 „mandatis parere teneantur. Satagite  
 B 2 „igi-

Sæc. XVII. „igitur, ut qui recte credendi gratiam  
A. C. 1702. „a Domino consecuti estis, bonorum  
 „operum, & præcipue charitatis, hu-  
 „militatis, & obedientiæ fructibus ei-  
 „dem Domino respondeatis: frustra e-  
 „nim fuerit, Catholice credidisse, nisi  
 „cæterarum quoque virtutum suffragio  
 „reportetis finem fidei Vestræ, salutem  
 „animarum; idque, ut facilius asse-  
 „quimini, supremum misericordiarum  
 „Patrem pro muneris nostri debito, Pa-  
 „ternoque, quo vos omnes complecti-  
 „mur, amore precari non desistemus;  
 „& Apostolicam interim Benedictionem  
 „Vobis ex animo impertimur.,

## §. V.

*Sectariorum furor contra has Pon-  
tificis literas.*

*Brauw.*  
*Epist. ad*  
*Quesn. se-*  
*cret. 28. Maij*  
 1703.

Hanc Clementis Papæ epistolam  
 Bruxellensibus literis excusam Bussi-  
 Apostolicus Internuntius ad præcipuos  
 Fœderati Belgii Catholicos transmittit,  
 illamque Regulares ubique palam fe-  
 cere: Ast quam indomitis impotenti-  
 busque furiis Sectarii in has Papæ li-  
 teras tumultuari cæperint, vix calamo  
 assequi valemus: non Religionis Sancti-  
 tati, non Pontificis honori, non Ca-  
 tholicorum saluti parcebant, apud Hol-  
 landiæ Ordines instabant, ut hoc Breve  
 tanquam seditiosum & infamem libel-  
 lum